

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae

Reuchlin, Johannes

Hagenoae, 1519

Marsilius Ficinus Florentinus Ioanni Reuchlin [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

IO. REUCHLIN LIBER SECVND.

tionem, unum illud certissimum epistolarum genus, cuius causa res ipsa inuenta est, ut certiores faceremus absentes si quid esset quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset. Epistolas igitur contentas sermone puro qui lumen rebus adhibet, ac emendato, quem Cicero latinum uocat, familiari dilucido ac breui, quod hoc sermonum genus dialogo similitimum putetur. Denique proprio ut res effingi quam explicatissime uideatur habetis adulescentes optimi, ut artem imitando discatis, magna enim pars artis imitatione continetur, ut est apud Quintilianum. Neque quo studia uestra magis adiuuari queant uideo quam iunctis exercitii ac imitationis uiribus gratas sententias latinis uerbis, latinis uero lectis uerbis aliis pronunciate. Idque frequentissime ut profuisse uobis Ioannes Reuchlin Germanorum studiorum antesignanus dicatur. Illis enim si uos eruditos uiderit ut antea dedit plura, grauiori uos munere donabit. Valete.

Marfilus Ficinus Florentinus Ioanni Reuchlin
Phorcensi, & Ludouico Nauclero Germa
niae Iuriconsultis S.

SCRIBITIS ad nos uestrorum nomine Germaniae principes Florentiam adulescentes erudiendos tanquam ad Academiam mittere. Sed ea interim elegantia scribitis, ut non ad Academiam filios, imo ex Academia mittere uideamini, atque apud exterarum nationes perquirere uobis iam domesticam disciplinam. Quae rerum uicissitudo est? Quantum insolentes plerique more sophistarum aliena temere profitentur, tantum uos modestissimi uiri uel propria ritu Socratico diffitemini, hoc praeter ceteris admirandi, quod quam curiose multi lapillos terrae uisceribus reconditos perscrutantur, tam accurate uos caelestem sapientiae splendorem ubique gentium prosequimini. Quamobrem incredibili quodam amore erga uos affecti, adulescentum uestrorum curam pia mente suscepimus. Et in primis insigni pietate hospiti commendauimus. Dabimusque in dies operam ut ager natura fertilis frugem quandoque proferat foelicissimam. Vos igitur bono animo estote, & principibus uestris nostro nomine respondete. Magnanimum Laurentium Medicem cuius & ipsi clientis sumus adulescentum prouidentiam libentissime suscepisse. Valete.